



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post
Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem**

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Qvinta Veritas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

De modis cognoscendi tribus, inpraesentia non est mihi
integrum scribere, ex superius dictis, quam cognoscant nos
liquet, & a Fratre nō audio aliud q̄ somnia Siculis gerris
simillima.

Vides igitur, ait, hos modos ex sacris scripturis habere
firmitatem &c. Si ex sacris scripturis habent, non deest iudi-
cium ecclesiae. Sed iterū ad reliqua Fratris uerba reuertor.

QVINTA VERITAS,

Sancti gloriosi cognitis nostris precib⁹ orant pro nobis,
nam cum uiui orent pro nobis ex charitate, mirum esset
cur sancti defuncti a terrena solitudine magis liberi, domi-
no qui ignis consumens est, Hebrae. 12, propinquissime iun-
cti, & indissolubiliter uincti, gratia corde repleti & stabiliti
minore ad nos eorum animos cura sint, cum seruiant chari-
tate & in statu sint perfectiore, cum in hoc statu miserrimo
omnibus omnia facti sint; obijcit aduersarius.

De uiuis extat scriptura & uerbum Dei non uno loco,
sed de mortuis ne syllaba quidē, ut possint pro nobis orare.
Sed Frater hoc eludit sic, ut nunc sequitur, secutus suum ma-
gistrum Fabrum ualde magistraliter allegātem scripturas.

Imo animalis homo hic talparum gestans oculos, non
percipit ea, quae Dei sunt. Audiat igitur ex sacris literis testi-
monia, Apocalyp. 5. Quatuor animalia & 24. seniores ceci-
derunt coram agno &c. habentes phialas plenas odora-
mentorum, quae sunt orationes sanctorum. & 8. Psal. 138.
Pro has orabit omnis sanctus, Iere. 15. Si steterint Moyses
& Samuel coram me &c. 2. Machabae. 15. Hic est fratrum
amator qui multum orat pro populo. Vides lector quam
manifeste orationes sanctorum dormientium ex scripturis
concludimus, quas ille tam impudenter inficiatur. Hac Pa-
risiensis Frater & Faber.

Refutatio

Hebrae. 12.

apocal. 5. et 22.

ps. 138.

Jerem. 15.

2. machab. 15.